

HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY



Wissenschaftliche Beilage
zum Jahresberichte des Königlichen Progymnasiums zu Linz a. Rhein.
Ostern 1899.

Quaestiones Aeschyleae criticae


von

Daniel Dornseiffer,
Oberlehrer.



Linz a. Rhein
1899.

1899. Progr.-Nr. 478.


HARVARD COLLEGE
AUG 19 1910
LIBRARY.

Quod ante nonnullos annos vir doctissimus, qui Aeschylum edidit, professus est, principis tragicorum Graecorum fabulas nihil ultra requirere, quod pertineret ad artem criticam, et suo sibi argumento confutatus est permultis libris libellisve conscriptis, et illud neminem fugit harum rerum peritum, ut haec antiquitatis Graecae monumenta pristino reddita sint nitori et integritati tantum abesse, ut temporum iniuria misere exstent foedata. Aeschyli quidem fabulae et recentioribus et antiquis temporibus virorum studiis doctorum materiam praebuerunt, tantaque est multitudo eorum, qui poetae huius tragoediis emendandis et explicandis operam navarunt, ut facile satisfactum esse videri possit officio, quo adversus gravissimi Graecorum poetae tragoedias obstringimur, at nescio an inveniantur loci, nec vero arroganter hoc dictum existimari velim, quibus, cum illi erravisse videantur, aliam et *novam* quidem sententiam proferre liceat. In hoc enim poeta evenit, ut eorum, qui ad interpretationem eius accesserunt et emendationem, nemo fere sit, qui non attulerit aliquid boni, nemo vel doctissimus, quin interdum versatus sit in errore. Non mirum! Nam cum omnino sit difficile talem poetam qualem Aeschylum novimus cum aliqua probabilitatis specie emendare illiusque propriam in dicendo gravitatem, sublimitatem, magnificentiam (σεμνότητα vel μεγαλοπρέπειαν vulgo appellabant Graeci) denuo instaurare atque ipsum textum Aeschyleum restituere ingravescente per varias tot saeculorum vicissitudines corruptela magis magisque depravatum et multiplici vitiorum genere inquinatum, tum eam quam dixi emendandi Aeschyli difficultatem haud mediocriter augeri consentaneum est incerta ac dubia librorum mss. reliquaeque supellectilis criticae condicione.

De codicibus hoc loco satis habeo referre omnium praestantissimum esse, quem dicunt, Mediceum. Dindorfii enim opera luculentissime demonstratum est, quamquam copiose arguteque in contrariam partem disputavit Heimsoethius, ex hoc codice derivatos esse, quotquot ad hunc innotuerunt diem ideoque sanae criticae fundamentum esse debere. In afferenda igitur librorum scriptura hanc mihi imposui legem, ut Medicei, qui vulgo significatur littera M, lectionem notarem. Cuius scripturam conservandam esse apparet, ubicunque aliqua eius tolerabilem in modum interpretandae facultas est, quod quomodo intellegi velim, exemplo expediam. Agam. v. 611 sq. libri tradunt:

οὐδ' οἶδα τέρψιν οὐδ' ἐπίψογον φάτιν
ἄλλου πρὸς ἀνδρὸς μᾶλλον ἢ χαλκοῦ βαφάς.

Clytaemnestra magno se affectam gaudio esse dicit de coniugis reditu, qui ab arcis custode nuntiatur; per tot enim annos fidelitatem erga maritum a se nunquam esse violatam, id quod exprimit verbis: neque novi delectationem alterius viri neque famam malitiosam, non magis quam χαλκοῦ βαφάς. Permultas invenies coniecturas in Weckleinii de Aeschylo libello, qui germanice scriptus est, enumeratas; at minime pro χαλκοῦ βαφάς aliud quid ponendum esse apparebit, cum hic locus optimo modo possit explicari. Equidem etsi vereor, ne omnes mihi non statim accedant, tamen afferam, quae, ne quis iusto citius assentiatur, impediant. Omitto scholiastae interpretationem: ὥσπερ οὐκ οἶδα τὰς βαφὰς τοῦ σιδήρου (!), οὕτως οὐδὲ ἡδονὴν ἑτέρου ἀνδρός. Cum praepropere Hermannus χαλκοῦ βαφάς de caede mariti dictas esse velit, omnes alii consentiunt in animo fuisse poetae significare rem, quae fieri non possit. Id quidem postulandum est, ut ad exempla revocetur, quae talem usum verborum et sententiam comprobent. Neque vero cogitandum est de *vera* aeris tinctura, neque Aeschylus ἀδύνατον, quod dicunt, his verbis exprimere intendebat, quodsi voluisset non satis dilucidum est, cur forte non dixerit λίθου βαφάς vel quid eiusdem generis, nam haec etiam res est, quae fieri nequit.

Sed si χαλκοῦ voce utitur, hoc vocabulum non sine causa positum esse certum est. Ac primum quidem conferamus scriptorum locos quosdam, ubi de metallis tingendis sermo est. Plutarchus de defectu orac. (cap. IXL) p. 433 A perscrutatur, unde exsistat divinatio et fieri posse dicit, ut perfricando animo et refrigerando vis divina evadat, additque comparate etiam ferrum immersum durari: τοὐναντίον πάλιν αὖ περιψύξει τινὶ καὶ πυκνώσει τοῦ πνεύματος οἷον βαφῇ σιδήρου τὸ προγνωστικὸν μόριον ἐγγίνεσθαι (Wyttenbach ἐντείνεσθαι) καὶ στομοῦσθαι τῆς ψυχῆς οὐκ ἀδύνατόν ἐστιν. In cap. XX libri περὶ τοῦ πρώτου ψυχροῦ dicit homines aestate aëris ruris avidos esse, quod vi in terra posita duretur ut ferrum tingendo: εἶθ' αὖθις ἐν θέρει τὸν γηγενῆ καὶ χερσαῖον ὑπὸ καύματος ποθοῦμεν οὐκ αὐτὸν ὄντα ψυχρὸν ἀλλὰ τοῦ φύσει ψυχροῦ καὶ πρώτως ἀποβλαστάνοντα καὶ βεβαμμένον ὑπὸ τῆς ἐν γῇ δυνάμεως ὥσπερ βαφῇ σίδηρον. Ad quod cf.

Sophoclis Ai. v. 650 sq.:

κἀγὼ γάρ, ὃς τὰ δείν' ἐκαρτέρουν τότε,

βαφῇ σίδηρος ὣς ἐθηλύνθην στόμα || πρὸς τῆς δὲ τῆς γυναικός.

Et de *aeris* tinctura haec notata velim. Proclos in commentario ad Hesiodi opera et dies 142: περὶ τὴν τῶν ὅπλων κατασκευὴν διέτριβον καὶ τῷ χαλκῷ πρὸς τοῦτο ἐχρῶντο ὡς τῷ σιδήρῳ πρὸς γεωργίαν, διά τινος βαφῆς τὸν χαλκὸν στεῤῥοποιοῦντες, et Eustathius ad Hom. Iliad. III 336 p. 421, 13: ἦν γὰρ ὅτε χαλκὸς βαπτόμενος ἐστομοῦτο πρὸς τὰ ὅπλα, et ad Iliad. I, 236 p. 93: ὁπηνίκα (sc. χαλκός) εἰς σιδήρου χρείαν ἐβάπτετο; denique cf. Tzetzes ad Hes. opp. et dd. 142. Postremo mihi attingendi videntur Hom. v. Odyss. IX, 391: ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ χαλκεὺς πέλεκυν μέγαν ἠὲ σκέπαρνον || εἰν ὕδατι ψυχρῷ βάπτῃ μεγάλα ἰάχοντα || φαρμάσσων. κ. τ. λ. Ex iis, quae attuli, exemplis satis apparet scriptores, ubicunque de metallorum tinctura (βαφή) sermo est, notionem *candendi* intellegi velle. Cum aliis locis diserte adnotatur, ferrum, antequam intingatur, candefieri, ut apud Plutarch. quaest. conviv. VIII, 9. 3. p. 734 A et apud Philo. Iud. de somniis I, 6 A I p. 625. 13 Pausaniamque (II, 3, 3) τὸν Κορίνθιον χαλκὸν διάπυρον καὶ θερμὸν ὄντα ὑπὸ ὕδατος τούτου (sc. Πειρήνης) βάπτεσθαι λέγουσιν, nihil aliud inde efficitur, quam ut scriptores notionem πεπυρωμένος apponere *potuerint*, non *debuerint*. Quicunque talia verba legebat, haud difficile scriptoris mentem assequi potuit. Pernimium autem interest inter *ferri* et *aeris* tincturam. Constans quidem opinio est apud antiquos aes prius inventum et in usu fuisse quam ferrum et priscos mortales artem cognovisse aeris durandi, ut acutissimum pariter maximeque idoneum fieret ad instrumenta rustica et belli cf. Hes. ἔργ. 149: τοῖς δ' ἦν χάλκεα τεύχεα κ. τ. λ. Postea amissa nescio quo casu arte durandi aes et acuendi ferrum duratum eos adhibuisse. (De hac re accuratissime agitur in libro: Blümner, Technologie und Terminologie der Gewerbe und Kuenste bei Griechen und Römern IV, p. 333—37). Iste error removendus est, et veteres inscios, ut res se haberet, idem quod de tinctura ferri constaret etiam ad aeris tincturam transtulisse verisimile esse videtur. Ferrum enim aqua obrutum duratur, sed aes vel id metallum, quod constat ex aere et cadmia vel aere, stanno aliisque admixtis *nullo modo* durari potest; *intemeratum* manet. Quodsi in hoc versu βαφαί adhibetur non βαφή, nullius momenti est; nam poeta id dictum esse vult de iterum ac saepius aere tingendo. Si recte exposita sunt, quae diximus, non est, cur alii editores coniecturas faciant ineptissimas, alii sententiam his verbis attribuant, quae non accommodata est. Saepissime Aeschylus similibus utitur non ita, ut sensibus et oculis paene subiiciat, sed ut cogitatione sibi fingat lector, quae species in poetae mente versata sit. Pulcherrima igitur his, de quibus agitur, versibus, comparatio continetur: Ut aes non [sicut ferrum] inmittitur in aquam, quod nullo effectu est ideoque aeris tincturam non cognosco, vel ut aes aqua obrutum nullo modo attingitur,

sed eam omnino respuit, ita sese animi impetus et cupiditates semper reflexisse et voluptatem ex altero viro respuisse gloriatur mulier impudica." Expressit autem poeta mores hominum improborum, qui quibus vitiis laborant, iis maxime se immunes iactare solent.

Quibus in universum expositis locos alios quosdam, qui mihi diligentissime legenti Aeschyli tragoedias occurrerunt, subtiliter persequar primoque duas interpolationes foedissimas ostendam, ut quousque etiam in codice optimo et antiquissimo labes progressa sit, intellegatur.

Pers. v. 140—149 (Dind.):

ἀλλ' ἄγε, Πέρσαι, τόδ' ἐνεζόμενοι
στέγος ἀρχαῖον,
φροντίδα κεδνὴν καὶ βαθύβουλον
θώμεθα, χρεία δὲ προσήκει·
πῶς ἄρα πράσσει Ξέρξης βασιλεὺς
Δαρειογενής;
τὸ πατρωνύμιον γένος ἡμέτερον·
πότερον τόξου ῥῦμα τὸ νικῶν,
ἢ δορυκράνου
λόγχης ἰσχὺς κεκράτηκεν; M.

„Sed agite Persae, assidentes hisce antiquis aedibus naviter et prudenter curemus, urget enim necessitas, quid igitur rerum gerat Xerxes rex, Darei filius, patrium genus nostrum, teline coniectus vicerit an cuspidatae hastae vis superior discesserit."

τὸ πατρωνύμιον γένος ἡμέτερον Hermannus explicat „genus a Perseo ductum, unde nos nomen habemus ideoque nobis cognatum", scholiastam secutus interpretantem ὅτι κατὰ πατέρα συγγενὴς ἡμῖν τοῦτ' ἔστιν ὁ ἐκ προγόνων ἰθαγενής. Sed praecedente Δαρειογενής ad hanc solam Xerxis appellationem πατρωνύμιον spectare posse manifestum est. Qua de causa scribit Weilius τέλος ἡμέτερον, alii praeferunt σθένος v. Linke Iahrb. für Phil. 1863 p. 687 eiectis verbis τὸ πατρωνύμιον. Illud quidem dubitari non potest, quin iste versus nihil nisi Xerxis cognomen Δαρειογενής explicare velit. Multae tum exsistunt difficultates. Ac primum totius versiculi scriptura reprehendenda esse videtur, quod Aeschylus articulum, etiam ubi certa vel persona vel res designatur, omittere solet; quae exempla exscribi hoc loco opus non est, sed sufficiet commemorare verborum, quae articulo plerumque carent, etiam γένος esse. Articulus praepositivus ubique fere vim habet demonstrativam, ut hic vertendum sit: hoc genus nostrum a patre nomen ducens et ct. Nam nimium illud acumen ingenii et artificia, quibus nihil ad interpretandum arduum est, procul habenda sunt a poeta Attico non Alexandrino, qui spectatoribus non lectoribus scripsit. Itaque etiam neminem futurum esse spero, qui quod Hermannus de hoc versu iudicavit, comprobet. Quamquam verisimile esse non puto Aeschylum τὸ πατρωνύμιον γένος scripsisse, cum modo praecesserit Δαρειογενής, tamen ut poeta tam debili amplificare voluisset appendicula vocem Δαρειογενής, nonne multo melius potuit et aptius tale quid addere ad versum 6, ubi Xerxes eadem appellatione notatur, praesertim in *uno eodemque* chori cantico? Atqui eo loco libri tradunt Δαρείου υἱός, quae verba interpolata esse inter omnes convenit. Praeterquam quod versus caret apta sententia, adiectivi πατρωνύμιος unicum apud tragicos exemplum est a grammaticisque inferiorum adhibetur temporum. Rem ita se habere mihi persuasi. Grammatici eloquendi circuitum poetarum reducere solent ad orationem prosaicam, ut Pers. 594 ζυγὸν ἀλκᾶς, ἡ ἀλκή, ibidem 419 σκάφη νεῶν ἀντὶ τοῦ αἱ νῆες, Sept. 564 τριχὸς πλόκαμος κατὰ περίφρασιν ἡ θρίξ. Et grammaticorum consuetudo nota est explicandi

nomina geographica; ut in Pers. 817, ubi Graeci dicuntur Δωρὶς λόγχη, de militibus Graecorum hastatis, et Persae, quos sagittarios maximam fuisse partem constat, τοξικοί vel τοξοδάμαντές τ' ἠδ' ἱπποβάται v. 26 a poeta appellantur, ad quod conferas v. 86, quo loco Persae opponuntur Graecis: ἐπάγει δουρικλύτοις ἀνδράσι τοξόδαμνον Ἄρη et v. 278 οὐδὲν γὰρ ἤρκει τόξα, πᾶς ἀπώλλυτο στρατός, ita etiam his, de quibus agitur versibus Persarum nominatur exercitus τόξου ῥῦμα et Graeci δορυκράνου λόγχης ἰσχύς, id quod iam animadvertit scholiasta: οἱ μὲν γὰρ Πέρσαι τοξόται, οἱ δὲ Ἀθηναῖοι λογχοφόροι, ὃ δὲ λέγει ἐστὶ τοιοῦτο· ἄρα οἱ Πέρσαι ἐνίκησαν τοὺς Ἀθηναίους ἢ οἱ Ἀθηναῖοι τοὺς Πέρσας; scholiasta autem, qui hunc elocutionis circuitum explicare vellet, supra τόξου ῥῦμα scripsit γένος ἡμέτερον, genus nostrum, i. e. Persicum vel genus eorum, qui loquimur, cum chorus constet e senibus Persarum. Idem grammaticus Δαρειογενής interpretaturus scripsit *sub* hoc vocabulum: τὸ πατρωνύμιον, hac, ut opinor, ratione (verba, quae interpolata iudico, litteris scribuntur minutis, ut magis sint conspicua):

πῶς ἄρα πράσσει Ξέρξης βασιλεὺς
Δαρειογενής;
τὸ πατρωνύμιον· γένος ἡμέτερον·
πότερον τόξου ῥῦμα τὸ νικῶν
ἢ δορυκράνου
λόγχης ἰσχὺς κεκράτηκεν;

Putat enim Δαρειογενής patronymicum esse Darei. Nam πατρωνύμιος apud grammaticos idem est, quod πατρωνυμικός, de qua re cf. Eustath. παρεκβολαί (p. 10. 25): λέγουσι γὰρ (sc. οἱ παλαιοί) τὸν Ὅμηρον μὴ σχηματίζειν ἀπὸ πάππου πατρωνυμίαν, εἰ μὴ ὁ πάππος εὐθὺς εἴη Διὸς υἱός, et paulo infra (p. 11. 16) ἐνταῦθα ὁ τοῦ Ὀρέστου πάππος Ἀτρεὺς οὐκ εὐθὺς ἐκ Διός· διὸ οὐδὲ ἐξ αὐτοῦ τῷ Ὀρέστῃ ἔσται π α τ ρ ω ν υ μ ί α. Infelici casu accidit, ut grammatici verba puncto omisso cohaerere viderentur istudque versus monstrum parerent. Quod scholiasta τὸ πατρωνύμιον interpretatur, nullius momenti est, cum haec ut multa alia a *recentiore* grammatico scripturam interpolatam explicante profecta sint. [Similiter Sept. v. 125 numerus pluralis δορυσσόοις σαγαῖς explanatur, ubi sine ulla dubitatione scribendum est δορυσσόῳ σαγᾷ.]

Forsitan quis obiecerit, mirum esse, quod hoc glossema non appositum sit ad v. 6, quo loco Δαρειογενής explicatur Δαρείου υἱός. At interpolatio versus 6 et haec, de qua agitur, usque recedunt ad tempora Alexandrinorum, quos scholiis tironum institutioni fabulas illustrasse scimus. Et cum is, qui scholia in margine codicis M. scripsit, iusta causa in versu 6, quippe qui nihil difficultatis haberet, non offenderet, haec verba *vetustissimi* grammatici iam in unum confusa invenit ob eamque rem interpretatus est. Iste ergo versus radicitus delendus est.

Eumenid. v. 1—9.

Πρῶτον μὲν εὐχῇ τῇδε πρεσβεύω θεῶν
τὴν πρωτόμαντιν Γαῖαν· ἐκ δὲ τῆς Θέμιν,
ἣ δὴ τὸ μητρὸς δευτέρα τόδ' ἕζετο
μαντεῖον, ὡς λόγος τις· ἐν δὲ τῷ τρίτῳ
λάχει, θελούσης, οὐδὲ πρὸς βίαν τινός,
Τιτανὶς ἄλλη, παῖς Χθονός, καθέζετο,
Φοίβη· δίδωσι δ' ἣ γενέθλιον δόσιν
Φοίβῳ· τὸ Φοίβης δ' ὄνομ' ἔχει παρώνυμον.

„Primum omnium deorum his precibus veneror Tellurem, primam vatem, deinde Themin, quae secundo loco matris oraculum hoc tenuisse fertur. Tertiam autem vicem obtinuit, illa quidem volente, haud vi a quoquam coacta, alia Titanis, Terrae filia, Phoebe, quae munus natale Phoebo dedit; (hoc) Phoebes nomen habet denominativum." Quo magis versuum sensus pateat, hoc adnotare velim. Quintus a natali dies sacer et festus fuit, quo infantem gestare circa focum et Laribus solemni ritu dedicare consueverunt Graeci; quod festum vocabatur ἀμφιδρόμια a sacro circa focum cursu. Idem dies infantem ornavit amicorum donis, quae dicebantur δόσεις γενέθλιοι. Decimo die nomen dabatur, ab avo plerumque mutuatum, quod constat ex Aristoph. Nub. 65, ad quem locum videas tamen Spanhemium exemplis probantem nonnumquam et patris nomen adhaesisse filio. —

Etiam in his versibus complura sunt, quae, si quis singula examinet, vituperanda esse intelleget et partim eiusmodi esse, quae supra de interpolatione in Persis facta, exposui. Id quidem Dindorfio concedendum est, Aeschylum multum fuisse in paronomasiis observandis, ad quod exempla iam attuli, et Φοῖβος nomen a Φοίβη derivatum velle, sed etiam fatendum est poetam nusquam paronomasiam, vel quod idem fere est periphrasin, apposito nomine proprio explicuisse. Equidem nullum inveni exemplum, sed ubicunque id factum est, additamenta grammaticorum erant; poeta potius de industria verbis suis obscuritatem quandam obducere solet. Quod si quis dubitet, documento sit Pers. v. 760 et sq. 761. Dareus de Persarum regni initio regibusque loquens dicit:

Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος ἡγεμὼν στρατοῦ.
ἄλλος δ' ἐκείνου παῖς τόδ' ἔργον ἤνυσεν.

Post haec Siebellis p. 131 sqq. collocandum censuit versum, qui in libris post v. 767 legitur: φρένες γὰρ αὐτοῦ θυμὸν οἰακοστρόφουν non modo, quod hic versus originem nominis Artaphernis explicare videretur, sed etiam quod scholiasta eum ad illud nomen rettulit. Nam ad verba ἄλλος δ' ἐκείνου παῖς v. 767 haec in M. adscripta sunt scholia: ὁ Ἀρταφέρνης ἐξ ἐτυμολογίας, et ὁ Ἀρταφέρνης, ὃν ἐτυμολογεῖ· ὁ ἀρτίας ἔχων φρένας. Meum esse non puto accuratius persequi, quem regem verbis Μῆδος γὰρ ἦν ὁ πρῶτος et quem ἄλλος δ' ἐκείνου παῖς γὰρ ἦν poeta significaturus fuerit, id quod ambigitur, sed nulla re speciosius demonstratur, quod supra dixi, Aeschylum libentissime nomina propria et iis ipsis locis, quibus maxime apponere debuit, abstruse notare. Quod equidem non Aeschyli proprium dixerim, sed naturae consentaneum. Quamquam porro non is sum, qui a poeta omnia exquisitissime et politissime dicta esse affirmaverim, tamen istas nugas grandiloquo tragico maxime indignas esse, quis sibi non persuadeat? Quid est enim ὄνομα παρώνυμον? Eo minus mihi venit in dubitationem, quin hi, de quibus agitur, versus glossemate foedati sint et poeta usque ad vitium obscurus, ut ait Quintilianus, hoc loco paronomasiam, quippe quae nihil habeat difficultatis, non explicuerit. Qua ratione hic locus sit infuscatus nunc ostendam, sed latius paulo abeamus necesse est. Παρώνυμος est denominativus, ab alio vocabulo denominationem habens. Dicuntur certe παρώνυμα, quaecunque ab aliis derivata sunt, quae et παραγωγά: atque adeo ipsa etiam propria nomina, quaecunque derivata sunt ab alio quopiam nomine, quod est appellativum, ut cum dicitur Πλάτων esse παρώνυμον a πλατύς et Θράσων a θρασύς itidemque alia quam plurima; παρώνυμος idem significat, quod παρωνύμιος et saepe permutantur. Παρωνυμία, denominative facta appellatio, Aquilae Romano est, quae aliis παρονομασία. Etiam hoc loco παρώνυμον substantivum eodemque quo παρονομασία sensu adhibitum esse videtur. Scholiasta veterrimus ut paronomasiam verborum Φοίβῳ δίδωσι δ' ἣ γενέθλιον δόσιν explanaret, Φοίβῳ suprascripsit Φοίβη, et ut locum post Φοίβη vacuum expleret, statim addidit partem versus genuini δίδωσι δ' ἣ κ. τ. λ. Deinde ad verba δίδωσι δ' ἣ γενέθλιον δόσιν explicanda

adnotavit: τὸ Φοίβης δ' ὄνομ' ἔχει, denique ut breviter exponeret his contineri verbis paronomasiam adiunxit παρώνυμον (sc. ῥῆμα). In archetypo igitur ita traditum esse puto:

Τιτανὶς ἄλλη παῖς Χθονὸς καθέζετο,
ΦΟΙΒΗ· δίδωσι δ' ἣ γενέθλιον δόσιν
Φοίβῳ· ΤΟ ΦΟΙΒΗΣ ΔΟΝΟΜ' ΕΧΕΙ· ΠΑΡΩΝΥΜΟΝ.

Postea Φοίβη ad secundam versus principalis partem pertinere apparebat et Φοίβῳ, prima versus pars, cum glossemate coniungebatur. Triplici itaque adnotatione grammatici cuiusdam hi duo versus depravati sunt. Etiam postero tempore scholia vetera in unum saepe confusa esse demonstravit Weckl. in libro, quem supra commemoravi [Ueber die Scholien ad Pers. v. 296 et 864]. Poeta ergo scripsit:

ἐν δὲ τῷ τρίτῳ
λάχει, θελούσης, οὐδὲ πρὸς βίαν τινὸς
Τιτανὶς ἄλλη, παῖς χθονὸς καθέζετο,
Φοίβῳ δίδωσι δ' ἣ γενέθλιον δόσιν,
λιπὼν δὲ λίμνην κ. τ. λ.

Operae mihi pretium esse videbatur, istas interpolationes nondum cognitas tractare, partim quod rationem et modum scholiorum ostendunt vetustissimorum — concisis et infractis exstant adnotatiunculis, — partim, ut ab Aeschyli editoribus non semper satis magna diligentia poetae dicendi genus observatum esse demonstrarem.

Sed redeamus, unde dissertatio digressa est. Duo sunt in Aeschyli mss. vitiorum genera, alterum leviorum lenique manu corrigendorum, qualia apud omnes scriptores occurrunt, alterum graviorum altiusque insidentium, quae et ipsa nonnumquam probabiliter sanari possunt. Ad primum genus quae pertinent, quamquam multa iamdudum a viris doctis emendata sunt, non pauca restant, quae littera una aut altera addita vel detracta vel mutata in integrum restitui possunt, ut Pers. v. 245:

δεινά τοι λέγεις ἰόντων τοῖς τεκοῦσι
φροντίσαι. M. ἰόντων.

„Graves parentibus (ad bellum) profectorum curas memoras.“ Quo cum loco participium praeteriti desideretur, alii aliam protulerunt coniecturam [συθέντων Meinecke, βεβώτων Weil, κιόντων Wecklein, μολόντων Heimsoeth]. Cuius verbi (μολεῖν) significatio est venire, ire diciturque non solum de rebus, quae exspectatae vel non exspectatae accidunt, sed etiam de hominibus, cum εἶμι futuri significationem habeat (ibo) et saepe cum aliorum futuris verborum coniungatur, nequaquam autem praeteriti loco inveniatur. Quodsi editores non neglexissent, scripturam in M. traditam ut reciperent fieri non potuit. Alii cum notionem *eundi* in coniecturis urgerent prolatis, hanc vim etiam esse subiectam voci εἶναι vel potius ἀπεῖναι non animadverterunt. Cf. Ag. v. 549 καὶ πῶς ἀπόντων κοιράνων ἔτρεις τινάς; Omnis difficultas tollitur scribendo δεινά τοι λέγεις ΑΠΟΝΤΩΝ τοῖς τεκοῦσι φροντίσαι. Participia ἰόντων et ἀπόντων perfacile permutari potuisse liquet. Ἀπόντων praeteriti sensum praebet: eorum, qui profecti sunt. Fortasse ἰόντων, glossema grammatici est, cui eundi vis in ἀπόντων non satis expressa videbatur, quod postea in textum irrepsit. Id enim pro certo constat verbum ἰέναι inveniri, quo nisi ex adnotationibus librariorum delatum esse non potest, cuius rei documento sit Choeph. v. 74: φόνον καθαίροντες ἰοῦσαν ἄταν, ubi metrum postulat vocabulum, quod cretici mensuram habet. Etiam latine est abesse multis locis idem quod peregre esse et proficiscendi vim habet. Cf. Suet. Tib. 38: „praeterquam in propinqua oppida nunquam afuit.“

Item perfacillime Eum. v. 913 corrigi possunt:

ὁ δὲ μὴ κύρσας βαρέων τούτων
οὐκ οἶδεν, ὅθεν πληγαὶ βιότου.

M. μὴ κύρσας βαρέων. Versibus, qui praecedunt, Minerva dicit: Hoc ego benevola civibus hisce efficio magnis et implacabilibus deabus hic domicilio constituto. His enim omnes fortunae hominum regendae datae sunt „qui graves has sibi non conciliaverit, haud intellegere solet, unde vitae calamitates sibi accidant.“ Non iniuria omnes in his duobus versibus offenderunt editores, cum procul dubio sententia sit: quicunque furias non fuerit expertus mites et mansuetas, sed potius iratas, eum malis obruunt inscium necopinatumque. Duae tum remanent difficultates: aut particula μὴ aut βαρέων sententiae repugnat. Quod attinet ad constructionem verborum explicandam non defuerunt, qui ὁ δὲ μὴ κύρσας absolute dictum esse censerent, ut βαρέων τούτων iungeretur cum πληγαὶ βιότου, qua ratione adhibitum vix inveniri puto. Itaque aliis aptissimum visum est ὁ δὲ μὴ κύρσας πρᾴων τούτων recipere, alii difficultatem positam esse opinantur in versu insequenti, in quo excidisset verbum, et paroimiaci restituendi causa coniecturam afferunt προσέπαισαν. At, ut Weilii verbis utar, minus bene ordines anapaesticos diviserunt neque omnem compositionis artem perspexerunt. Heimsoethius postremo dicendi errorem esse ratus scribit θεράπων τούτων; tam facile res expediri nequit. Dicant fortasse, qui istam defendunt scripturam, quod rectum vocabulum librariis esse non videretur aut quod non intellegerent, eos mutavisse. At, hercle, βαρέων vox tam rara non est, ut haud difficile permutari potuerit, aptissime vero furiis attribuitur. Ipse id quod M. tradit tenendum esse censeo et in verbis ὁ δὲ μὴ vitium positum esse puto. MH nil aliud est quam MĤ olim scriptum cum lineola, qua littera N in libris significatur antiquis, quod adhuc animadvertit nemo. Suppl. v. 198 in M. legitur τὸ μὴ μάταιον ἐκ μετώπω σωφρόνων κ. τ. λ., ubi μετώπω nihil nisi μετώπω̄(ν) esse potest. Pignore contenderim μήν pro μή recepto scripturam genuinam esse restitutam. Cuius particulae varium usum eo redire constat, ut res aliqua manifesta significetur visque vel unius verbi, cui adiunctum est, vel totius sententiae urgeatur. Tum non est, cur offendamus in βαρέων, significatio optime sententiae versuum respondet neque cum Hermanno lacunam statuamus necesse est. Postremo mihi praestare videtur pro ὁ δὲ μήν — ὅ γε μήν reponere, quae usitatissima particularum coniunctio est. Prom. v. 871 σπορᾶς γε μὴν ἐκ τῆς δὲ φύσεται θρασύς, || τόξοισι κλεινὸς κ. τ. λ. et Sept. 1062, σύ γε μὴν πολλῶν πενθητήρων τεύξει. Itaque scribendum censeo: ὅ γε μὴν κύρσας βαρέων τούτων οὐκ οἶδεν, ὅθεν πληγαὶ βιότου, qui quidem eas sibi infestas reddidit, unde fulmina vitae (veniant) nescit.“

Nonnulla menda e continua archetypi scriptura orta sunt, ut litteris iisdem in alia vocabula distributis ex absurdis vel sensu carentibus versus evadant optimi. Pers. 161 sq. v.

καί με καρδίαν ἀμύσσει φροντίς· ἐς δ' ὑμᾶς ἐρῶ
μῦθον οὐδαμῶς ἐμαυτῆς οὖσ' ἀδείμαντος, φίλοι,
μὴ μέγας δαίμων κονίσας οὖδας ἀντρέψῃ ποδὶ
ὄλβον, ὃν Δαρεῖος ἦρεν οὐκ ἄνευ θεῶν τινος·
M. ἀδείματος.

„Nam meum quoque animum vexat sollicitudo et verba ad vos faciam neutiquam de me ipsa secura, amici, ne forte magna illa opulentia celeriter festinans felicitatem proruat, quam Dareus erexit non sine dei alicuius auxilio.“ Versibus praecedentibus chorus, qui constat e principibus viris summoque loco natis cum annis tum dignitate venerabilibus, universae gentis Persicae pavorem et luctum exprimit. De

dolosa numinis fraude dicens nihil aliud intellegit quam deum summam hominum fortunam evertere eosque necopinantes ac rerum suarum nimium quantum confisos in acerbissimas coniicere calamitates, e quibus se expedire nequeant. Dum senes loquuntur, Atossa, Xerxis mater, accedit non dissimulans timorem, ne filius cum exercitu male rem gesserit. Pro ἀδείματος in codice M., quod non exstat, omnes editores ἀδείμαντος receperunt. Id falsum esse patet. Nam, nisi vim verbis afferas, tum sententia est, „neutiquam de me ipsa secura“, cum Atossa procul dubio dicere velit non se metu liberam esse (ἀδείμαντος), sed timore affectam, ut hoc vocabulum verbis antecedentibus καί με καρδίαν ἀμύσσει φροντίς aperte repugnet. Weilii coniectura, qui scribit μῦθον οὐδαμῶς ἐμαυτῆς οὐδ' ἀδείμαντον, ut μή ἀντρέψῃ ποδί pendeat ab ἀμύσσει φροντίς inepta esse videtur interpositis verbis ἐς δ' ὑμᾶς ἐρῶ μῦθον, neque dubitari potest, quin μή potius coniungendum sit cum ἀδείμαντος. Mea sententia res ita absolvitur. Mendum ortum esse mihi persuasi e continua, ut supra dixi, codicis vetustissimi scriptura, ut littera α vocabuli ἀδείματος attribuenda sit praecedenti οὐσ' (α). Cum multi, qui Aeschylum recensuerunt, ἐμαυτῆς pendere opinentur ab ἀδείμαντος, id quod fieri potest, multo praestat constructionem horum verborum sic instituere, ut ἐμαυτῆς pendeat a participio οὐσ'. Constat οὐχ ἑαυτοῦ εἶναι vel γίγνεσθαι idem significare, quod οὐκ ἐν ἑαυτῷ εἶναι, i. e. sui vel mentis compotem non esse, ad quod exempla afferam. Hippocrat. Epidem. VII, p. 1222 E: ἐπεὶ δὲ ἐκομίσθη ἐς οἶκον, μόγις ἀνέβλεψε· καὶ αὐτὸς μόγις ἑωυτοῦ ἐγένετο, postquam domum relatus est, aegre visum recepit vixque ad sese rediit; ib. p. 1207 D: καὶ εἴποτε ἐξ ὕπνου ἐγερθείη μόγις αὐτὸς ἑωυτοῦ (sc. ἦν vel ἐγένετο), cf. ib. VII, p. 1222 D. Demosth. 1456, 9: ταῦτ' ὅταν ποτὲ βούλησθε ὑμῶν αὐτῶν ὄντες ἀκούειν. Soph. Philoct. v. 950 ἀλλὰ νῦν ἔτ' ἐν σαυτοῦ γενοῦ (alii σαυτῷ); idem Oedip. Col. v. 65 ὁ νοῦς ὅταν αὑτοῦ γένηται. Denique Plat. Phaedr. p. 250 A. ἐκπλήττονται καὶ οὐκ ἐθ' αὑτῶν γίγνονται. (Inspicias grammaticen K. W. Krueger § 47, Anm. 6). Nunc vero facile intellegas, quid Atossa dicat: „cura quidem animum meum commovet, sed nequaquam metu mei compos non sum.“ Qua de causa δείματος mihi nihil aliud esse videtur quam reliquiae dativi δείμασιν. In archetypo itaque traditum fuisse puto: οὐδαμῶς ἐμαυτῆς οὖσα δείμασιν, φίλοι, i. e. nequaquam terriculamentis exanimata. Librarius, qui iudicio non adhibito ex archetypo descripsit, cum horum poetae verborum sensum non intellexisset, pro οὖσα δείμασιν recepit οὐσ' ἀδείματος. Quae emendatio non magno mihi labore constitit, cum a poeta ipso huius fabulae aliis duobus locis quasi digito monstrata sit. v. 210 Xerxis mater dicit: ταῦτ' ἔμοιγε δείματ' ἔστ' ἰδεῖν. Hic δείματα significant res terrorem iniicientes et spectant ad v. 176 πολλοῖς μὲν ἀεὶ νυκτέροις ὀνείρασι | ξύνειμ' κ. τ. λ. ad quod conferas v. 597: φίλοι, κακῶν μὲν ὅστις ἔμπειρος κυρεῖ . . . πάντα δειμαίνειν φιλεῖ, et v. 603 ἐμοὶ γὰρ ἤδη πάντα μὲν φόβου πλέα. Hoc de quo agitur loco δείματα dicta sunt non solum de somniis nocturnis, quae Atossae angorem inferunt, sed etiam pavor chori et trepidatio sollicitudines ei parant. Postremo coniectura, quam proposui, magnopere confirmatur scholiastae interpretatione huius loci: τοῦτ' ἔστιν· ἔξω τοῦ καθεστηκότος τυγχάνουσα ὑπὸ τοῦ φόβου, ὃν ἐν τῇ ψυχῇ ἔχω, apud quem igitur eadem verborum consecutio est, deinde, qui consideret verba ὑπὸ τοῦ φόβου, facile adducitur, ut huic interpretationi nihil aliud in archetypo respondere potuisse putet ac δείματι vel δείμασιν.

Sed cum verba prorsus sunt incerta nulloque pacto praebent sensum, tum demum necessarium esse videtur inquirere, quid poeta scripserit vel optime scribere *potuerit* dicendi genere eius videlicet observato.

Eumen. v. 920 sq.

ἅτ' ἐγὼ κατεύχομαι
θεσπίσασα πρευμενῶς
ἐπισσύτους βίου τύχας ὀνησίμους
γαίας ἐξαμβρόσαι
φαιδρὸν ἁλίου σέλας.
M. ἐξαμβρόσαι.

Cui (sc. urbi) ego apprecor benevole vaticinans affluentes commodorum copias e terra . . . (verba, quae sequuntur, verti non possunt).

Praeterquam quod ἐξαμβρόσαι nusquam in Graecorum scriptis reperitur, versus etiam metrum violatum est, qua de causa aliud verbum est supplendum. Priusquam lectionem restituere conemur, paulo accuratius inspiciamus emendationes in medium prolatas. Cum Pauwius scribat ἐξαμβρῶσαι, quod restituto metro sententiae etiam satisfaceret, si de aoristi huius verbi satis constaret, Dindorfius ἐξαμβρόξαι coniecit, sed valde dubitandum est, haecne forma exstiterit, quam ob rem coniecturam viri illius docti recipi non posse manifestum est. Apud Homerum quidem optativus ἀναβρόξειε verbi ἀναβρόχω et participium ἀναβροχέν inveniuntur, sed his locis verbo resorbendi notio inest, quae sententiae versus omnino repugnat. Od. μ. v. 240 ὅτ' ἀναβρόξειε θαλάσσης ὕδωρ et λ 586 ὕδωρ ἀπολέσκετ' ἀναβροχέν. Quae quomodo vertenda sint, docet Ovidius (Her. 12, 126) „quaeque vomit totidem fluctus totidemque resorbet". Postremo thema ἀναβρόχω inusitatum est, ut ait Eustathius (Il. p. 1095, 6). Cf. etiam Hesychium, qui praeter ἀναβρόχειν ponit ἀναρροφήσειν. ἀναβροχθήσειεν: ἀναρροφήσειεν, ἀναπίοι· ἔστι δὲ τῶν πεποιημένων.

Mihi quidem vocabulis cum diligentia examinatis aliam, quae melius sententiae sermonique accommodatur, emendationem verbi, in quo iure offenditur me paravisse persuasi et legendum mihi videtur ΓΑΙΑΣ ΕΞ ΑΜΒΡΑΞΑΙ ita ut praepositio ἐξ post substantivum γαίας positum cum eo sit coniunctum. ἀναβράζω vel ἀμβράξω latine est ebullire, emicare et respondet fere transitivo elicere aliisque huiusmodi. ἀνάβρασις est aestuatio, cum aqua fervens ebullit et subsultat, quod ἀμβολάδην ζεῖν Herodotus (4. 181) vocat. De notione verbi etiam cf. Aristoph. Ran. 510 μὰ τὸν Ἀπόλλω οὐ μή σ' || περιόψομ' ἀπελθόντ' ἐπεί τοι κρέα || ἀνέβραττεν ὀρνίθεια et Acharn. 1005 ἀναβράττετ', ἐξοπτᾶτε, τρέπετ' ἀφέλκετε || τὰ λαγῷα ταχέως· Itaque hoc vocabulum aptissimum, nam ardore solis herbae quasi emicant, e terra eliciuntur. Neque in sententia quidquam est, quod reprehendas et numeri optimi sunt eius generis, ex quo totum hoc canticum exstat. Si quis offendat in verbi forma admonitum eum volo, ut poeta iis quamvis raro utatur. Suppl. v. 39 σφετεριξάμενον πατραδέλφειαν || τὴν δ' ἀεκόντων ἐπιβῆναι. Ag. v. 681, ubi Hermannus adnotat. dubitari potest, num ὠνόμαξεν scripserit Aeschylus. infra restituendum est fortasse σεβίξω (v. 785), quod Flor. praebet. Choeph. v. 954 M. tradit ἐπ' ὄχθει ἄξεν, ubi, quod vix dubitari potest, ἐπορθίαξεν vel ἐπωρθίαξεν legendum est. Versus emendati sic vertuntur: „cui ego apprecor benevole vaticinans affluentes commodorum copias e terra, ut emicent splendido solis ardore."

Eumen. v. 951 sq.

μέγα γὰρ δύναται
πότνι' Ἐρινὺς παρά τ' ἀθανάτοις
τοῖς θ' ὑπὸ γαῖαν, περί τ' ἀνθρώπων
φανερῶς τελέως διαπράσσουσιν.
M. φανερῶς τελέως.

Hos si respicimus versus, nemo est, quin verba φανερῶς τελέως corrupta esse videat, quod duo adverbia sine particula copulativa nullo modo coniungi possunt. Mendum in vocabulo τελέως positum esse puto, quamquam multis deleto τελέως persuasum videtur non satis potestatem furiarum et vim expressam esse. At τελέως in hoc versu non solum supervacaneum esse affirmaverim, sed vix tolerabile. Nam διαπράσσω idem significat quod τελέω notionemque habet perficiendi et ad exitum ducendi, quam ob rem oratio τελέως apposito supervacuis oneratur verbis. Hoc loco particula desideratur, cuius vis est adversativa, qua posterior sententia priori opponitur. Itaque quantum ego coniectura assequor, Aeschylum scribere *potuisse* iudico περί τ' ἀνθρώπων φανερῶς ΔΕ ΓΕ ΠΩΣ διαπράσσουσιν, quam emendationem prolatis non deteriorem esse confido. Particula δέ hoc loco ἀθάνατοι et ἄνθρωποι opponuntur, et πὼς extra omnem interrogationis significationem est quodammodo, aliquo modo, aliquantum, ut Latini dicunt nescio quomodo. Accedit, ut πὼς saepissime cum adverbiis ita coniungatur; etiam γέ πως usitatam particularum coniunctionem esse constat, ut Choeph. v. 132 πεπραμένοι γὰρ νῦν γέ πως ἀλώμεθα κ. τ. λ. permultisque aliis locis. Vertendi igitur hi versus sunt: Plurimum enim pollet veneranda Erinys inter superos inferosque deos; de hominibus vero manifesto quodam modo (nostra lingua gewissermassen) munus suum explent." Verba aptissima.

Eumen. 938 sq.

δενδροπήμων δὲ μὴ πνέοι βλάβα,
τὰν ἐμὰν χάριν λέγω·
φλογμός τ' ὀμματοστερὴς φυτῶν, τὸ μὴ περᾶν ὅρον τόπων,
μηδ' ἄκαρπος αἰανὴς ἐφερπέτω νόσος·
M. ὅρον τόπων.

Verum esse videtur, ad hos versus Hermannus adnotat, φλογμός τ' ὀμματοστερὴς φυτῶν nec quicquam mutandum in iis, quae libri ita scripta habent τὸ μὴ περᾶν ὅρον τόπων (nonnulli mutaverunt περᾶν in πέραν). Ardor oculos sive germina plantarum perdens, ut ne terminum locorum suorum transgrediantur, nihil aliud est, quam ardor, qui oculos plantarum impedit, quominus progerminent et efflorescant. Rectissime, at quid sit, ut ne terminum locorum transgrediantur vel graece τὸ μὴ περᾶν ὅρον τόπων frustra quaeras. Haud difficile est intellectu ὅρον τόπων hoc loco ineptissima esse verba, nullaque adhuc digna, quae accipiatur, coniectura in medium prolata est. Emendandi vero rationem maxime probari censeo eam, qua litterae vocabulorum minime mutentur, nam scribae errore in textum irrupisse mihi videntur. Quae sententia his ipsis verbis contineatur Hermannus explicuit. Plantae ardore solis, quominus progerminent, impediuntur, nisi utriculus rumpitur nec folliculus adaperitur. Hic est graece λοβός, cuius vocis principalis significatio est τὸ ἀγγεῖον τοῦ ἐρεβίνθου, τοῦ κυάμου similiumque seminum, h. e. siliqua sive folliculus, quo semen veluti vagina clauditur. Frequens est apud Theophrastum, a quo hinc ἔλλοβα vel ἐλλοβά σπέρματα καὶ πολύλοβα dicuntur. Galenus (de facult. aliment. 1, 28) commemorat „Theophrastus λοβούς nominat τὰ περιέχοντα τὰ σπέρματα τῶν τοιούτων ὀσπρίων ut sunt φακός, ὄροβος, πισός, κύαμος, θέρμος, quemadmodum enim frumentacea semina spicis continentur, ita haec λοβοῖς, siliquis sive folliculis. Ceterum laudandus est Weckleinius, qui eandem fere scripturam λόπων (pro λοβῶν, quam equidem propono) statuerit. At hunc virum doctum altera difficultas effugit, quam maxime observare debuit. Nam cum, id quod vix dubitari potest, in archetypo λοβῶν scriptum esset, prorsus ὅρον non convenit. Et dici quidem potest ut in Prom. v. 666: γῆς ἐπ' ἐσχάτοις ὅροις et 790: ὅταν περάσῃς ῥεῖθρον ἠπείροιν ὅρον, ubi de finibus loci alicuius sermo est, sed quid ὅρος λοβῶν sit, expedire nequeo. Mihi ὅρον vitiatum esse videtur, postquam scribae errore in versum

irrepsit τόπων pro λοβῶν, cum intellegeret ὅρος vocabulum adhiberi non posse nisi de terrae locique alicuius terminis. Ὅρος λοβῶν nihil aliud esse potest, nisi ea plantarum pars, ex qua folium vel ramus exsistit neque dubitandum est, quin poeta verborum diligentissimus et proprietatis in verbis retinentissimus ista voce parum definita uti non potuerit. Si mecum consentias neque quemquam discrepiturum esse spero, iam perspicuum est Aeschylum non ὅρον, sed ὄζον scripsisse. Ὄζοι dicuntur κλάδοι, ex quibus pullulant ramusculi. Theophrastus H. Pl. 12 de partibus arborum et ceterarum plantarum loquens: Ἀκρέμονας δὲ λέγω τοὺς ἀπὸ τούτου (καυλοῦ et στελέχους) σχιζομένους, οὓς ἔνιοι καλοῦσιν ὄζους. Similiter Hesych. sub v. ὄζος. Aristot. dicit ἔστι γὰρ ἀρχή τις ὁ ὄζος τοῦ κλάδου, ἅμα δὲ καὶ τὸ μέσον. Est quaedam τῶν ὄζων differentia, quam Theoph. H. Pl. 1, 13 his verbis servat: εἰσὶ δὲ τῶν ὄζων οἱ μὲν τυφλοί, οἱ δὲ γόνιμοι· λέγω δὲ τυφλούς, ἀφ᾽ ὧν μηδεὶς βλαστός· οὗτοι δὲ καὶ φύσει καὶ πηρώσει γίνονται. Unde Plin. H. nat. 16, 30: ramorum aliqui caeci, qui non germinant, quod natura fit, si non evaluere. Deinde Theoph. dicit in calamo τὸ γόνυ esse καθάπερ ὄζον et ὡς γὰρ ὁ ὄζος ἐν τοῖς ἄλλοις οὕτω καὶ ὀφθαλμὸς ἐν ἀμπέλῳ καὶ ἐν καλάμῳ γόνυ et hac significatione ὄζος loco, de quo agitur, adhibitus est, ut etiam apud Romanos nodus, qui in arboribus ceterisque plantis eminens et durior ille callus est, ex quo rami exeunt, quia iuncturam in corpore imitatur vel quia lignum in morem nodi contortum est. Quibus de causis scribendum censeo: φλογμός τ᾽ ὀμματοστερὴς φυτῶν τὸ μὴ περᾶν ὄζον λοβῶν κ. τ. λ. „nulla arbores laedens tempestas spiret, id opto; nec solis ardor germina corrumpens, ut non rumpatur nodus folliculi, neque omnino fructus perdens ater morbus accedat." Nodus folliculi circumlocutione poetica dictum est pro ipso folliculo vel utriculo.

Haec nunc sufficiant. Nam satis me ostendisse puto id, quod initio huius libelli profiteri non dubitavi, in Aeschyli tragoediis superesse, de quibus accuratius, quam adhuc factum sit, quaeri oporteat. De locis, quos tractavi, fieri potuit, ut planius et accuratius cognoscerem et examinarem, sed in oppidulo nostro omnibus litterarum praesidiis orbatus, quamquam, cur enim non libere profitear, tres academias ita rogavi, ut maiore studio rogari non possint, haec quae omnino mea esse assevero diiudicanda trado. Pravo si usus sum iudicio laudando improbabilia probabilia tacendo et si pro meis venditavi, quae aliorum sunt, factum id esse inscio me et invito credatur velim, sique fieri possit ignoscatur.

Buchdruckerei der Rhein- u. Wied-Zeitung in Linz am Rhein.



